



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)



AD LECTOREM.



VAMVIS non defuerint vnquam in Seraphica Religione post Scoti tempora, qui doctrinæ ab eo traditæ, non tam subtilitatem admirati, quam soliditatem, eam voce & scriptis diligentissimè explicatam Auditoribus cum domesticis eiusdem religionis, tum extraneis proposuerint: vnde & factum vt celeberrima Scotistarum deueniret schola, ac nulli sane alteri, siue Professorum numerum, siue qualitatem spectes, secunda. Quæ diligentia longe excreuit, postquam magno ac prudenti consilio à Patribus Ordinis cautum est, ne vlla, quæ ad Scoti mentem non esset, à nostris Magistris ac Professoribus deinceps proponeretur. Nescio tamen quo fato accidit, vt ex tanto numero doctissimorum Virorum, qui Philosophicum cursum iuxta Scoti principia, summa cum laude singulis annis vbique terrarum docuerunt; nullus hucusque integrum publici iuris fecerit, cum plurimi tamen secundum aliarum scholarum principia quotannis ederentur, in quibus propria doctrina non maiori cura propugnata est, quam Scoti impugnata. Ego certe hoc scholæ nostræ infortunium mecum sæpè deploraui, & quamplurimos alios non nostræ tantum Religionis, sed aliarum etiam, quòd tanto malo non esset prouisum, conquestos audiui: nec tamen ipse in me vnquam illam prouinciam susceperem, non solum imbecillitati meæ, ac sufficientiæ diffusus, sed expectans etiam, vt aliquis alius ex innumeris, qui sunt, magis idoneus illam aggredere, nisi aliquot abhinc annis à Superioribus generalibus ea cura, quantum religioso fas erat, venienti, commissæ esset; quibus cum obtemperare deberem, nec ingenium tamen aut doctrinæ adesset par tanto muneri, vtriusque defectum, quam poteram maximo studio supplere conatus sum. Illud autem præcipuè mihi propositum erat, vt nostræ scholæ doctrinam non explicarem tantum, sed etiam contra omnes, quorum opera ad me peruenierunt, præsertim celebriores, ac recentiores propugnarem, idque stylo magis ad claritatem, quam ad elegantiam opportuno. Data opera fugi non necessaria Notabilia, & quotquot adhibere debui, suis locis collocare placuit, non preponere vbi non poterant deferuire. In citationibus parcor sum, sed multo magis in adducendo aut Doctoris, aut Philosophi textu, ac magis adhuc in huius mente anxius explicanda, præcipuè studens conclusiones meas ratione magis probare, quam authoritate, quæ si adfuisset, illa deficiente, præterquam quod pro ingeniorum subtilitate facile esset quæcumque verba ad quoscumque sensus trahere, & difficile nimis quid quo sensu quis dixerit probare, non aliud adiungeret ad qualificationem doctrinæ momentum, quam quod sufficere posset ad humanam fidem generandam, quam ego certe, quod ad me attinet, non magis Philosopho, quam D. Thomæ, D. Bonauenturæ, ac ipsimet Scoti haberi debere censeo. Hac editione, disputationes à prima ad vltimam continuata numeri serie prosequor, etiam si varientur tractatus; & licet vnaquæque disputatio plures quæstiones, ac ex his prolixiores titulorum diuersorum interiectione diuisas habeat; tamen numeros marginales, ac citationem deseruiantes, continuandos duxi, ad maiorem citaturi vtilitatem, cui sufficere disputationem & numerum specificare sine mentione tractatus, aut quæstionis. Nauseam certe pariat prolixa, quæ debet fieri aliquorum authorum cum specificatione tractatus, disputationis, quæstionis, articuli, puncti, ac denique numeri vel paragraphi citatio. Diligentior, quam esset necessarium, fortassis videbor in aliorum, qui mecum in conclusione conueniunt, probationibus improbandis; quod tamen studio feci, ne quis inaduertenter earum specie captus, aut in sua defendenda sententia, aut in aliorum impugnanda iis vteretur armis, quæ, cum in aciem descenderet, perinde eum, ac si inermis esset, relinquerent. Moneo tamen, vt qui dictata conficiunt, ad instructionem tyronum, omnem huiusmodi refutationem omittant, ac partem etiam solidiorum fundamentorum, vno aut altero principaliore contentis sic enim minus prementur immaturiora adhuc iuuenum ingenia. Hæc est, Humanissime Lector, mea in hac parte villicationis ratio. Solùm præterea animaduersum velim, multos me habuisse amicos & discipulos Artium Lectores, qui meis dictatis vsi sunt, aliqui integre nulla facta mutatione, aliqui quoad magnam partem, plurimi quoad substantiam; ex quibus ipse non pauca hic etiam ad verbum inserui, & multo plura quoad sententiam: quod aduerto, vt si quis incidat in huiusmodi scripta, non me ab aliis sua, sed mea propria accepisse intelligat. Quod si harum lucubrationum editionem in bonum publicum, vel meæ solius Religionis cedere intellexero, animum dabit Theologicas, quas præ manibus habeo similiter imprimendi; & si quis interea pro sua charitate quos defectus in hoc opere aduerterit, mihi significare dignabitur, eos libentissime in aliis operibus vitare conabor. Ad hæc pro secunda editione addendum solummodo, iis ad quos non peruenit Cursus Philosophicus PP. Mastrij ac Belluti Venetiis impressus, non necessarias esse Additiones, quibus hanc editionem auxi, & quas propriis locis post quæstiones, quas concernebant, collocaui, præter eas, quibus respondendum erat iis, quæ in secunda parte Metaphysicæ Mastrij continentur: hæc enim, quia seriùs ad me peruenit illa secunda pars, cum imprimeretur Tractatus de Anima, non nisi post finem totius operis, præter duas aut tres Metaphysicæ inferendas apponi poterant; quarum Catalogum reperiet Lector post indicem rerum. Adiungerem etiam Appendicem meam Apologeticam contra eosdem, nisi & excreveret plus iusto tomus, & sufficientia adhuc Romæ haberentur exemplaria. Quod ad errores attinet, dedi operam ad omnes, sed non nisi ad grauiores tollendos suffeci. Vale.

APPRO